

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1238

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

in curiam sancti Stephani in villa Liutpoldsheim spectancium, idem H[einricus] constanter asserebat se minus in censibus, quam pars adversa peteret, annis debere singulis persolvere. nos vero, multis inter se agitatis concertacionibus, testes juratos et diligenter examinatos super eadem causa recepimus in hunc modum deponentes : Lampertus prespiter juratus dicit, quod mansus illi, quos habet Heinricus filius Marsilii spectantes in curia Liutpoldsheim, unus integer persolvit sex solidos in censum sancto Stephano et dimidius tres solidos. insuper affirmat, quod omnes mansus spectantes in eandem curiam reddant similiter et dicit, quod ipse receperit multis annis census eosdem. Fridericus juratus dicit, quod ipse receperit a monachis sancti Arboagasti et a domino de Vegersheim tribus vicibus, ex quo villicus, qui custodiebat primitus, transfretavit mare, de integro mansu prefatorum bonorum in curiam prefatam spectancium sex solidos et de dimidio tres solidos. Sigebodo villicus juratus dicit, quod habeat mansum unum in sepe dictam curiam spectantem et inde persolvat annuatim sex solidos in censum et affirmat, quod omnes debeant reddere similiter. Godefridus juratus dicit, quod ipse receperit de integro mansu prefatorum bonorum sex solidos et de dimidio tres solidos et dicit, quod adjudicatum fuisset ipso presente et audiente, quod unusquisque mansus integer prefatorum bonorum debeat reddere sex solidos in censu et dimidius tres solidos. nos igitur, harum attestacionum diligentissime inspecto tenore et ydoneorum jurisperitorum super eisdem habito consilio, dignum duximus sententiandum, quod H[einricus] filius Marsilii prefatus sex solidos de quolibet mansu suo in predictam curiam spectante persolvat annuatim, quousque nos, quod minus persolvere debeat, valida informet racione. actum est anno domini 1238, proximo sabbato ante festum sancti Galli, presentibus Ūl[rico] plebano sancti Stephani et S. sacerdote et F. sacrista et aliis quam pluribus.

*B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 2659 or. mb. c. sig. pend. laeso.*

258. Henricus lantgravius Alsacie protestatur, Johannem militem dictum der Crumbe agrum in banno Eristhen situm, Anewendere dictum et agris abbatisse Erstheimensis, qui dicuntur die Gebrete, in campo superiori adjacentem, consensu uxoris et filiorum accedente, ecclesie sancti Thome Argentinensi ita contulisse ut censum 12 denariorum annuatim in festo sancti Thome solvat ac post mortem suam libere possideat «res que pia devotione». testes hujus facti sunt i. a. Cunradus cantor, Eberhardus canonici sancti Thome. [1226-1238<sup>1</sup>.]

*T aus Straßb. Thom. A. Titres lad. 25 or. mb. c. 3 sig. pend. laesis.*

*Gedruckt darnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 307 nr. 27.*

<sup>1</sup> Cfr. Schöpflin Als. illustr. II, 522.